



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Disput. 2. De actu Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

Ad secundum

diligat alium, qui non aliquo modo ad se pertineat, sed negatur consequentia, teneret autem, si cetera essent paria: Deus autem multo est amabilior. Ad secundum respondetur naturalem amorem esse familiorem, & iucundiorum; & ita est in anima separata, & fuisset in statu originalis iustitiae; iam vero propter impedimentum, & interiores inclinaciones aliquo modo contrarias, & imperfectam cognitionem, aliquomodo difficilis redditur usus huius naturalis inclinationis. Ad tertium: maius bonum meum esse Deum, quam ego sim mihi; nam licet sit Deus alius à me, tamen est naturale bonum à quo, & ego, & cetera pendent. Vnde simpliciter magis appetibile mihi est, quod Deus sit, quam quod ego sim, quia hoc est simpliciter melius, magisque rationi consonum: posita autem illa hypothesi impossibili, quod si possem ego esse, non existente Deo, preferre possem meum esse diuino. Respondetur posito impossibili, quodlibet sequi; nam illo dato Deus non esset Deus, nec naturale bonum: vnde nihil inde sequitur absolute, & simpliciter, quia absolute Deus est bonum naturale. Neque vero inde fit, Deum nunc amari præcisè propter ea bona, quæ hominibus communicat, sed propter bonitatem, quæ talis est, ut sola sit causa, & principium totius bonitatis.

Maius cuius bonum est Deus, quam quicque sibi.

DISPUTATIO II.

De Actu Charitatis.



E natura, & varietate actuum charitatis in hac disputatione agendum: nam quamvis hæc virtus, seu habitus sit vnus specie, imo vnus numero in quolibet homine, ad multos tamen actus specie diuersos inclinatur, quæ doctrina maxime in virtute per se infusa probari debet, qualis est charitas. Quæ sicut potentia assimilatur, in eo quod det simpliciter posse operari, ita & in hoc quod vna cum sit, multos etiam specie actus eliciat.

SECTIO I.

Vtrum amor Dei, & proximi sit actus charitatis.

2. Conclusio. 1.

Dictio Propter enucleatur.

Disp. 1. sect. 9. vide etiam lib. 2. de grat. c. 13 n. 24.

D. Th. 2. 2. q. 27. art. 3.

An amor Dei, ut sit charitatis, debeat esse super omnia. Vide lib. 1. de grat. c. 10. & lib. 3. c. 13.

Obiectio diluitur.

Dico primo, amare Deum propter se ipsum, esse proprium actum à caritate elicitum. Intelligendum est semper huiusmodi actum elici debere ex motu charitatis: quare conclusio hæc nota est ex dictis: Additur illa particula propter se, ut excludatur amor, quo amat Deus, ut bonum nostrum: nam licet sit honestus, non est tamen à charitate elicitus, ut ex materia de spe constat: indicat autem illa particula præcipue causam formalem, propter quam Deus ex charitate amat: quæ est bonum Dei sistendo in illo: vnde etiam importat finalem causam negatiue magis, quam positiue: amatur enim Deus ex charitate, tanquam finis vltimus, cui bonum volumus, ad nullum alium finem, & commodum hoc referendo. Addit etiam Diuus Thom. & reliqui etiam Theologi posse particulam illam per causam efficientem explicari etiam negatiue, quia Deus amatur propter bonitatem, quam à se habet, id est non ab alio.

2. Quæres, an hic amor, ut sit charitatis, oporteat esse super omnia. Respondetur, si sit talis esse optimum actum charitatis: tamen simpliciter hoc non esse necessarium in omni amore Dei ex charitate: nam sunt alij actus imperfecti per quandam complacentiam, & beneuolentiam, qui possunt fieri ex motu charitatis, & ita erunt charitatis, sicut est amor, & beneuolentia proximi. Sed obijcies in conclusionem. Amari à Deo est excellentius, quam amare Deum. Sed actus charitatis est excellentissimus,

ergo ille est amari, & non amare. Respondetur. Amari à Deo dupliciter sumi posse, primo quasi in actu secundo, & sic non est actus hominis, sed denominationis ab amore, qui in Deo est, vnde non est actus nostræ charitatis. Secundo potest sumi obiectiue quasi aptitudine, quod est idem ac esse amabile, & hoc suo modo præstat charitas, non tam effectiue, quam formaliter, neque per se primo, sed secundario: nam primario id confert gratia, secundario tamen charitas: nam quia ipsum amare Deum, bonum est, fit, ut is, qui amat actum, vel habitum, amabilis etiam sit; quod commune est suo modo omni virtuti. Vnde ad argumentum respondetur, charitatem dare homini, id, quod est optimum in genere virtutis operatiue, non simpliciter, & omniratione: amari autem à Deo est optimum homini, tamen non in ratione operationis humanæ.

3. Dico secundo. Etiam desiderium boni diuini est amor à charitate elicitus. Ratio est, quia eiusdem virtutis est amare aliquem, & desiderare illi bonum. Secundo desiderare gloriam Dei propter ipsum est actus honestus: ergo virtutis, & non alterius nisi caritatis: cum autem in Deo sint duplicia bona, alia propria, & intrinseca, alia extrinseca, quæ potius sunt bona creaturarum, in quibus insunt, tñ habentia aliquem respectum ad Deum, propter quem sunt appetibilia ipsi Deo, vt gloria, laus, &c. In his posterioribus versatur hic actus, supponit enim charitatem boni, quod desideratur.

4. Dico tertio. Gaudium de bonis Dei propter ipsum, est actus à charitate elicitus. Ratio est, nam eiusdem virtutis est gaudere de bonis habitis, & illa desiderare, si non habeantur. Rursus hic actus est honestus, & intus oritur ex amore, imo per se ad amicitiam spectat. Vnde si interdu Diuus Thom. gaudium ponit effectum charitatis, id non est, quod non sit actus elicitus, sed quia est veluti passio ex amore resultans, atque hinc constat beneuolentiam esse actum charitatis, cum non distinguatur à desiderio, & gaudio, sed ad aliquem ex his reuocetur, vel certe in omnibus includatur: nihil enim aliud est beneuolentia, quam voluntas boni alterius propter ipsum, vt recte definit Clemens Alexandr. Secundo titomatur circa principium: per omnes autem illos, & non per alios volumus bonum alteri. Verum est interdum beneuolentiam distinguere à Philosophis ab amore, ita ut amor significet stabilem amicitiam, & firmam, consuetudinem, & ratione radicatum, beneuolentia vero sit repentinus, quidam affectus, qui interdum oritur quam primum res placet.

5. Dico quarto. Præter hos actus, potest charitas elicere odium, fugam, & tristitiam circa malum diuino bono contrarium, vnde hos actus præcipue exercet caritas circa peccatum, quod diuino bono, & eius amicitia est contrarium. Hæc patet tum specialiter de contritione, quam diximus alibi actum esse à caritate elicitum, ac formaliter, & directe versari circa peccatum, tum ex generali doctrina de virtutum habitibus, qui, & ad prosecutionem suorum obiectorum, & ad fugam oppositorum inclinant.

6. Dico quinto. Hos eosdem actus exercet caritas circa proximum, & circa se ipsum seruata proportionem: præter hos autem actus nullum alium actum interiore habet. Prior pars constat ex dictis de obiecto materiali, & formali caritatis: posterior vero patet ex dictis 1. 2. de voluntatis actibus. Solum dubium est de actu pacis, quem Diuus Thomas 2. 2. quæstione 29. tribuit charitati dicitque esse eius effectum. Respondetur, pacem posse spectari, vel in habitu, & quasi permanenter, atque ita nihil aliud est, quam vnio voluntatum, quam efficit charitas informando, non per modum actus secundi: respectu quidem Dei inclinando voluntatem hominis ad coniunctionem cum diuina bonitate, & voluntate:

rate; respectu verò aliorum hominum, inclinando ad concordiam, & consentionem in rebus honestis, & in ipso homine constituendo bonum ordinem inter appetitum, subiiciendo inferiorem superiori. At hæc omnia non per se solam efficiunt charitas, sed per alias simul virtutes, quæ illam comitantur. In actu verò si consideretur pax, nihil aliud est, quàm actus voluntatis, quo quis appetit hunc bonum ordinem cum Deo, vel cum proximis, vel in seipso, qui actus potest esse elicited à charitate, si ex formali motu charitatis fiat, & quia hoc motuum maxime accommodatur tali actui, ideo talis actus maxime tribuitur charitati: nihil autem vetat huiusmodi actum elicere interdum ab alia virtute ex proprio cuiusvis motui, & præcipue respectu proximorum, sæpe oritur ex iustitia.

7. Dico sexto. Præter dictos actus interiores, habet charitas exteriorem actum, qui beneficentia dicitur: quia eiusdem virtutis est amare, & benefacere: nam amor de se est efficax, præcipue si necessitas amici urgeat. Sed addit D. Thomas 2.2. quæst. 31. artic. 1. ad 3. hunc actum habere locum erga proximum, non erga Deum, quia licet exterius multa possumus facere in honorem Dei: tamen quia omnia hæc sunt debita, non sunt beneficia, sed obsequia: unde videtur sibi velle D. Thomas charitatem nullum posse habere actum exteriorum proxime, & per se ipsum imperatum, vel quasi elicited circa Deum, sed per religionem. At hoc neg. verum est, neg. intenditur à D. Thom. quia charitas per se potest immediate mouere membra ad exteriores actiones propter amorem Dei, non considerata ratione debiti, nec religiosi cultus; sicut etiam ferè nullum est bonum, quod charitas possit conferre proximo, quod non possit etiam fieri alia virtute, scilicet misericordia, gratitudine, liberalitate, vel simili: hoc tamen non obstat, potest charitas per se ipsam id præstare, nulla alia virtute vitendo: solum ergo voluit D. Thom. corrigere modum loquendi, & docere huiusmodi actionem, quouit modo exercetur erga Deum, non posse dici beneficium, quia recipi debita Deo in finis alijs titulis, & est magis Dei, quàm nostra, quare semper retinet nomen, & rationem obsequij.

SECTIO II.

An amor Dei, & proximi sint eiusdem speciei, & possint esse vnus actus numero.

Constat actus charitatis, quos numerauimus erga Deum, & proximum differre specie, vt in 1.2. in genere explicatum est: solum superest, vt comparemus amorem Dei cum amore proximi, & idem est de alijs actibus, gaudio, desiderio, odio, &c.

1. Prima sententia affirmat hos actus materialiter quidem in entitatibus suis specie differre propter distinctionem obiectorum: tamen in specie bonitatis, & honestatis conuenire propter conuenientiam in motui, & participationem eiusdem obiecti formalis; sed hæc sententia non est vera, vt patet ex principio positum in 1.2. quia species bonitatis est essentialis actui, qui ex obiecto suo est honestus, vt sunt hi de quibus loquimur, si igitur conueniunt in specie virtutis, etiam conueniunt in essentiali specie, & entitate.

2. Secunda sententia facit hos actus omnino diuersos specie: generale fundamentum est, quia idem habitus in specie potest elicere actus specie distinctos, prout obiectum formale eius diuerso modo, obiecto materiali applicatur: nam sicut potentia se habet ad plures actus, ita etiam vnus habitus; vt eam potentia est generale principium actuum: ita etiam habitus; unde fit, vt habitus respiciat suum obiectum sub ampliori ratione: actus vero sub ra-

tione magis cōtracta; quocirca eadem ratio formalis, quæ comparata ad habitum vna est: comparata ad actus recipere potest diuersitatem, prout diuersimodè informat diuersas materias; quod maxime in proposito habet locum. Primo, quia amor Dei est semper immediatus propter bonitatem increatam intrinsecam ipsi Deo; amor verò proximi interdu est immediatus propter participationem creatam illius bonitatis increate: interdum verò est propter ipsam bonitatem increatam, sed tamen extrinsecè applicatam: hæc autem magna diuersitas est respectu actus. Confirmatur ex diuersis proprietatibus horum amorum, nam alter est amor vicini finis, alter non. Vnus est super omnia, & modus eius est super omnia diligere: alter non est super omnia, & requirit certum modum, & mensuram. Tandem D. Thomas quæst. 25. artic. 12. ad 2. fatetur in obiectis partialibus charitatis posse reperiri diuersam rationem diligibilis.

3. Tertia sententia. Constituit hos actus omnino eiusdem speciei, ita D. Thomas 2.2. quæst. 25. articulo primo. Ratio est, quia sunt ab eodem habitu sub eadem ratione formali, & constat à simili de actibus fidei, & religionis. Secundo. Nam amor Dei, & proximi coalescere possunt in vnum numero actum: beatus enim eodem actu diligit Deum, & proximum, & à simili patet in electione, & in eene. Quid mihi in hac controuersia probabilius videatur iam explicabo.

4. Dico primo. Actus dilectionis, quo diligitur proximus immediatus propter bonitatem creatam in eo inhaerentem, est specie distinctus ab actu amoris Dei, vt recte probat, quæ adduximus in secunda sententia, & patet rursus, quia cultus Dei propter suam excellentiam increatam, & cultus creature propter excellentiam creatam specie differunt.

5. Dico secundo. Amor, quo amatur proximus propter bonitatem increatam non est eiusdem rationis cum actu amoris Dei, sed aliquo modo ab eo differt essentialiter: hoc etiam constat ex dictis in eadem secunda sententia, neg. quæ in contrarium sunt in tertia sententia vrgent, & iam sunt soluta. Solum circa fidem aduertendum est, non esse eandem rationem, nam motuum credendi in fide, non solum est omnino idem, sed etiam æqualiter, & eadem ratione omnibus credilibus applicatur, scilicet, propter externum testimonium Dei reuelantis.

6. Dico tertio. Hi duo amores non differunt tantum species totales omnino diuersæ, sed quasi partiales, & incompletæ, atq; adeo tanquam partes heterogeneæ, quæ possunt eandem qualitatè componere: hoc bene probat secunda confirmatio, & exemplum intentionis, & electionis in tertia sententia, de quare in 1.2. videndum est: nam eodem modo loquendum est vtrouique. Tandem explicatur ex ratione formali obiectiua horum actuum, quæ in se est vna, & simplicissima: & quamuis diuerso modo ad diuersas materias applicetur; tamen voluntas potest vnico motu in totam illam materiam ferri, vt proportionaliter subest illi rationi formali: præcipue cum tota ametur per modum vnus, amatur enim vnus propter aliud: & simile quid est in religione: eodem enim adorationis actu potest quis ferri in imaginem, & in rem cuius est imago. Ex quo colligitur differentia inter amores proximi, qui sunt immediatus propter bonitatem creatam, vel increatam: nam ille ita differt ab amore Dei, vt non possit in eundem actum coalescere, ob maximam diuersitatem in proxima ratione diligendi: hic vero potest propter rationem supra factam. Ex quo etiam fit, vt hi actus amoris proximi inter se specie differant, & à signo patet, nam multo aliter distinguuntur vnus ab amore Dei, quam alius: ergo inter se etiam distinguuntur. Patet vero à priori ex diuersitate rationum in obiectis formalibus proximi.

Confirmatur primo,

Secundo ex D. Th.

3. Sententia D. Th. dupliciter probatur,

1. conclusio.

2. conclusio.

3. conclusio per quam sententia conciliatur,

Corollar.

2. Corollar.

imis. Denique vno amore amatur proximus quasi per se, ut amicus: alio vero amore simpliciter propter alium, & ut est res amici, & patet à simili de amore medijs propter bonitatem suam intrinsecam, vel extrinsecam finis. Atque eisdem rationibus concluditur propter supernaturalem bonitatem immediate, vel propter naturalem tantum supernaturaliter regulatam, differre similiter: Dicitur Thomas autem non loquitur de specie, in rigore pro specie ultima: sed solum comparatione ad habitum, sed quomodo exponendus sit, sumendum est ex materia de habitibus.

Ad D. Th. in
n. 3. quatenus
obicitur pna-
bitur. fent.
Vide d. 44
Met. scilicet.

SECTIO III.

Quales sint actus charitatis, & quis inter eos sit melior?

1. Conclusio. **D**ico primo, omnis actus charitatis bonus est, & honestus: tum quia est amor Dei, vel propter Deum, vel ita in hoc amore radicans, ut eius bonitatem participet: tum quia charitas est essentialiter virtus. Quæres an huic actui admisceri possit aliqua malitia ex indebita circumstantia temporis, modi, & ceteris. Respondetur ex principijs positjs in 1. 2. hoc repugnare omni actui interiori ex specie sua bono, ergo maxime huic, qui est optimus omnium.

2. Dico secundo. Hic actus à caritate infusa elicitur à natura sua sunt supernaturales. Constat ex materia de Gratia.

3. Dico tertio. Inter actus charitatis illi, quibus Deus amatur sunt sine dubio meliores, & perfectiores, & ceteris paribus magis meritorij. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 27. art. 8. patet, quia excedunt in dignitate obiecti. Sed contra. Amor proximi includit totam bonitatem amoris Dei, & addit insuper aliquid, nam est amor proximi. Respondetur, si contingat vnicuique actu amari Deum, & proximum, ut utrumque obiectum, actum illum esse perfectiorem extensivè, quam sit solus amor Dei, sed non est id necesse in omni amore proximi. Rursus inter actus circa Deum illi sunt meliores genere suo, qui sunt per modum prosecutionis, & inter hos præstat amor: nam est prima, & perfectissima coniunctio ad Deum, & radix ceterorum actuum: deinde gaudium, ultimo desiderium, nam illud de se versatur circa meliora bona.

4. Dico quarto. Inter amores proximi ille est melior, qui immediate est propter bonitatem in creaturam, post hunc ille, qui est propter bonitatem creaturam supernaturalem, infimus est alius amor, nempe propter naturalem bonitatem, hæc constat ex diversitate obiectorum motuorum.

5. Dico ultimo. Si comparentur hi actus ad obiecta materialia, in vnaquaque specie dilectionis, ille actus est melior, qui magis est consentaneus proportioni, & ordini charitatis: intelligitur semper ceteris paribus. Ratio est, quia charitas magis inclinatur ad meliores actus suos: ergo è contrario ad quos ipsa magis inclinatur, illi sunt meliores. Secundo hi actus versantur circa obiecta magis coniuncta aut Deo, aut diligenti: ergo participant magis rationem charitatis.

6. Atque hic expeditur illa quæstio, An magis meritorium sit diligere inimicum, quam amicum? Respondetur in genere suo melius esse diligere amicum: nam est magis consentaneum ordini caritatis: sicut est melius, diligere patrem, quam extraneum: iustum, quam peccatorem: amicum, quam alienum. Itaque quia per se melius est ex obiecto: nam è contrario peius est odire amicum, quam inimicum: prius ergo maiori honestate. Sed contra. Amor inimici est difficilius ex se, at hæc difficultas augmeritum, & bonitatem. Secundo dilectio inimici est purior ab omni humano motivo: unde in

Amici ne, an
inimici dile-
ctio sit magis
meritoria.

Obiectio 1.

Secunda.

sacra Scriptura, & Patribus laudatur, & maxime perfecta iudicatur. Ad primum respondetur plus conferre obiectum, quam difficultatem ad bonitatem, & meritum, quia obiectum est magis essentialiter actui, sicut facilius est diligere patrem, quam extraneum, & tamen hic est perfectior actus: hoc autem intelligendum est ex genere suo: nam posset esse amicitia levissima, & difficultas maxima: unde ulterius nego quædo actus dilectionis sunt eiusdem intentionis, voluntatem magis conari: quia conatus voluntatis non est aliud, quam efficientia, & actus voluntatis: ubi autem non est intensior actus neque est maior efficientia. Verum est tamen, quando obiectum est difficilius, aut aliqua ratione minus appetibile, moraliter esse necessariam maiorem virtutem ad operandum æqualiter circa tale obiectum: sicut in naturalibus agentibus, ad agendum æqualiter in re, & in modo circa passum magis resistens, maior virtus in agente requiritur, inde tamen non fit, actionem, vel effectum esse meliorem, cum supponamus esse æqualem in intentione: neque etiam fit, esse magis meritorium: quia meritum non attenditur penes virtutem in actu primo, sed penes actionem ab illa procedentem: licet dignitas suppositi conferat per modum cuiusdam circumstantiæ: solum ergo sequitur amorem inimicorum regulariter loquendo esse signum perfectioris virtutis, quod intendunt Patres. Ad secundum respondetur actum amoris erga inimicum sæpe posse esse meliorem, quia fit ex meliori motivo, nos autem loquimur ceteris paribus, quod non repugnat, si homo velit pure operari: unde fit, ut sæpe sit utilis exercere actus amoris erga inimicum: tum quia probabilis est, eos diligere ex charitate: tum quia dilectio inimicorum ratione difficultatis est commodior ad satisfaciendum, impetrandum, & movendum Deum ad remittenda nobis peccata: atque hæc etiam intendunt Patres. Tandem addendum est si amor amici ex sola ratione naturali, seu humana potius oriatur, posse quidem esse moraliter bonum, non tamen per se esse meritorium nisi aliquid supernaturale illi accedat, quo sensu dictum est Matthæi quinto. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Et sic est accipiendus Dicitur Thomas 2. 2. quæstione 27. articulo 7. ad primum. Si vero ratio humana non sit proprium motuum talis amoris, sed dispositio deserviens, ut homo per charitatem intensius opereatur, non minuit de bonitate, & merito, sed potius potest esse occasio, augmenti, ut per se constat. De comparatione inter actus amoris viz, & patris dicitur disput. seq.

Ad primum
objectionem

Ad secundam
objectionem

DISPUTATIO TERTIA.

De habitu charitatis.

RECIPVA charitatis acceptio illa est, qua sumitur pro habitu seu virtute, quæ ad amandum Deum amore benivolentis supernaturali inclinatur, & quamvis de illa, ut sic, in hac disputatione sit præsertim agendum, aliqua tamen ad doctrinæ complementum de naturali etiam habitu, quo ut author naturæ à creatura intellectuali diligere potest, consequenter sunt explicanda: alij hoc loco omisiss, de quibus iam late in materia de Gratia.

SECTIO I.

Vtrum charitas sit creata virtus in voluntate infusa.

1. Dico primo, charitatem esse qualitatem, & habitum creatum, loquimur autem de caritate, 1. conclusio de qua vide lib. 6. de gradib. qua c. 2. 9